MASTER NEGATIVE NO. 91-80066-8

AUTHOR:
MULLER, JOHANNES

TITLE:
M. ANTONIO GORDIANO III...

PLACE:
MONASTERII

DATE:
1883

Master Negative #

91-80066-8

COLUMBIA UNIVERSITY LIBRARIES
PRESERVATION DEPARTMENT

BIBLIOGRAPHIC MICROFORM TARGET

Original Material as Filmed - Existing Bibliographic Record

Müller, Johannes. Silesius.
De M. Antonio Gordiano III., Romanorum imperatore... Monasterii ex typographia Krickiana, 1883.
39 p. 20½ cm.

Thesis, Munster.

Volume of pamphlets

Restrictions on Use:

TECHNICAL MICROFORM DATA

FILM SIZE: 35mm
REDUCTION RATIO: 11x
IMAGE PLACEMENT: IA (IIA) IB IIB
DATE FILMED: 6-25-91
INITIALS: V.W.D.
FILMED BY: RESEARCH PUBLICATIONS, INC WOODBRIDGE, CT

n68

1.20

DE

M. ANTONIO GORDIANO III

ROMANORUM IMPERATORE.

DISSERTATIO HISTORICA

QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE

AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM ORDINIS

IN

ALMA LITERARUM ACADEMIA REGIA MONASTERIENSI

AD

SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES

RITE IMPETRANDOS

DIE XXVII. MENSIS JUNII A. MDCCCLXXXIII

IN PUBLICO DEFENDET

JOHANNES MÜLLER

SILESIUS.

MONASTERII.

EX TYPOGRAPHIA KRICKIANA.

MDCCCLXXXIII.

Cum imperator Maximinus Germanis devictis et exercitu in hibernis apud Sirmium, Pannoniae urbem, collocato bellum contra Sarmates primo vere anni 238 ineundum pararet, in Africa, cui provinciae M. Antonius Gordianus proconsul praeerat, magna seditio exorta est [1]. Afri enim procuratorem quendam Libyae, qui maxima crudelitate in omnes saeviebat, cum multos proscriberet, multos interficeret, atque ipsi Gordiano proconsuli et filio eius, qui a senatu patri legatus additus erat, mortem minaretur, adiunctis sibi plerisque militibus occiderunt [2]. Cum autem imperatorem, cui procurator interfectus maxime gratus fuerat [3], mortem eius ulturum esse putarent, alium principem creare constituerunt, praesertim cum plerique imperio eius acerrimo non faverent. Quam ob rem M. Antonius Gordianus et filius, cum et apud senatum, qui Maximino a militibus creato inimicissimus erat, auctoritate plurimum valerent et Afris ipsis probatissimi essent, Mauricio quodam auctore absentes [4] apud Thysdrum Augusti circiter id. Febr. [5] renuntiati sunt.

---

[1] Heriodani τῆς μετὰ Μάρκον βασιλείας ἱστοριῶν βιβλία ή, ed. W. Irmisch c. not. Lips. 1789–1805; VII. 2, 19, 20. — Capit. vit. Maxim. cap. 13, 3, 6. (Script. hist. Aug. rec. H. Peter Lips. MDCCCLXV.)

[2] Capit. vit. Gord. 7, 2; vit. Maxim. 14, 1; Herod. VII. 4. Capitolino in seditione narranda maiorem fidem habendam esse, quam Herodiano, iam Daendliker: Die drei letzten Bücher Herodians p. 241–246 (Büdinger: Untersuchungen zur römischen Kaisergeschichte III) docuit.

[3] Herod. VII. 4, 4.

[4] Daendliker pag. 245.

[5] vit. Gord. 7; 8. — De tempore p. 11.

M. Antonius[1]) Gordianus Sempronius Romanus[2]) Africanus[3]) pater anno p. Ch. fere 158[4]) Maecio Marullo et Ulpia Gordiana natus originem paternam a Gracchorum genere, maternam ab imperatore Traiano traxit[5]). A puero artibus litterisque optime instructus laudes scripsit omnium Antoninorum, qui ante eum fuerunt[6]). Tum rem publicam capessivit, cui etiam maiores eius studuerant: fuerunt enim proavi et paterni et materni consules. Postquam quaestor fuit, aedilitatem magnificentissime gessit[7]). Cum ditissimus esset et in provinciis tantum haberet agrorum, quantum nemo privatus[8]), singulis mensibus populo munera dedit,

1) Capitolinus iterum atque iterum disputat (vit. Gord. 4; 5; 9; 17;), utrum Gordianus Antonius an Antoninus nominatus sit. Et re vera in paucis marmoribus (Orelli-Henzen 307, 971, 975) „Antoninus" inscriptum est. Sed iam Orellius ipse ad inscr. 22, quae nomen „Antoni" continet, haec dicit: „in aliis inscriptionibus Antonini, sed illud verius". Itaque quae Eckhelius: Doctrina num. vet. VII p. 302 ludit: „Si pro futilibus suis auctoribus consuluisset (sc. Capitolinus) marmora ac nummos Graecos Gordiani III, in quibus plene scribitur „Antonius", facile fuisset, verum requirere", ex parte iusta sunt. Equidem quoque nomen Antonium anteferendum esse iudico.

2) In uno nummo Gordiani pater et filius Σεμ. Ρωμ. nominantur, quae cognomina in uno altero patri soli adduntur. Cum in inscriptione quoque quadam laesa cognomen Romani inveniatur, concedendum est id cognomen Gordianis fuisse. Quod in tribus locis occurrit, Robertus quidam recte coniicit Gordianos non prius, quam Romae imperatores declarati sint, ita a senatu nominatos esse. Nam cum fieri non possit, quin imperium eorum, quippe quod brevissimum fuerit, a senatu paulo ante mortem agnitum sit, aliquantulum temporis cognomen eis fuisse apparet. Sub literis Σεμ. intellegendum esse „Sempronius" Sallet aperte ostendit, cum Gordiani Gracchorum gentiles essent; cfr. Sallet: Zeitschrift für Numismatik VII p. 139 ss.

3) De hoc cognomine pag. 3.

4) Herod. VII 5, 3. Γορδιανὸς . . . . . πρεσβύτης δὲ, εἰς ἔτος ἤδη πέρί που ὀγδοηκοστὸν ἐληλακώς.

5) vit. Gord. 2, 2.

6) ibidem 4, 7.

7) ibidem 2, 2, 3.

8) ibidem 2, 5, 6.

quae maximo apparatu celebrabantur[1]), ut brevi populo carissimus fieret. Post praeturam iniit consulatum a. 213, quem tanta industria atque sapientia gessit, ut omnibus illius temporis consulibus maxime praestaret[2]); deinde ab Alexandro Severo proconsul in Africam senatu auctore missus est maximo omnium bonorum gaudio, qui Severi imperium in Africa quoque clarum esse volebant. „Amatus est, ut ait Capitolinus, „ab Afris ita, ut nemo consulum, quo factum est, ut alii eum Scipionem, Catonem, alii multi Mucium ac Rutilium aut Laelium dicerent." [3]) Africanum etiam eum suo ipsorum nomine appellaverunt[4]), id quod nummis quoque demonstratur[5]).

Ex uxore Fabia Orestilla, pronepte Antonini[6]) et filia Annii Severi[7]), Gordianus filiam Maeciam Faustinam et filium M. Antonium Gordianum habuit[8])[9]). Hic autem a. 192 fere p. Ch. natus[10]), non minus litterarum peritus erat, quam pater. Heliogabalo imperatore quaesturam[11]), Alexandro regnante praeturam urbanam tanta prudentia gessit, ut ea functus consul declararetur

1) vit. Gord. 3, 5.

2) ibidem 4, 1, 3. Gordianum semel modo consulem fuisse, non bis, ut Capit. vit. Gord. 4, 2 scripsit, ostendit Klein: Fasti consulares p. 93 not 4.

3) vit. Gord. 5, 1, 5.

4) Herod. VII. 5, 19. Ἀφρικανὸν ἐκάλεσαν ἀφ' ἑαυτῶν.

5) Eckhel VII p. 302, 303. Cohen: Description historique des monnaies frappées sous l'empire Romain t. IV. p. 107–112: Imp C. M. Ant. Gordianus Afr. Aug.

6) vit. Gord. 17, 4.

7) ibidem 6, 4.

8) ibidem 4, 2.

9) Filium Gordiani patris Marcum Ant. Gord. appellatum esse, nummis (Cohen: p. 110–112) confirmatur. Falso igitur idem a Lampridio in vita Severi 68, 1 Aelius nominatur.

10) vit. Gord. 15, 2: „Gordianus . . . filium . . . quadraginta et sex annos agentem, . . . contra Capelianum . . . misit" a quo filius proelio interfectus est. cfr. p. 5.

11) vit. Gord. 18, 4.

et Maximini vel iam Alexandri aetate ad proconsulem patrem legatus mitteretur [1]). Filia Maecia Faustina nupta erat Junio Balbo, viro consulari [2]).

Sed haec quidem hactenus.

Gordianus igitur Thysdri certior factus se imperatorem factum esse primum recusabat, quominus imperium oblatum subiret [3]), quia iam octogenarius esset [4]). Cum autem satis clarum esset Maximinum proconsuli caedem procuratoris, quem adiuvare debebat, vitio versurum esse, condicione sua gravi atque ambigua coactus, praesertim cum Maximinus et sibi et filio iam antea mortem minatus esset [5]), concessit, ut ipse itemque filius [6]) imperatores crearentur. Deinde paucis diebus post cum pompa regali Thysdro Carthaginem profectus est [7]), quod erat caput Africae, ubi filius, ut ait Capitolinus, pari potestate succinctus est [8]). Quo facto legati cum litteris Romam missi sunt [9]), qui quae in Africa accidissent, ad senatum referrent. Romae, cum Valerianus, senatus princeps, qui postea imperator factus est, ex legatis nuntium accepisset [10]), statim senatus non die legitimo sed indicto [11]) in

---

1) vit. Gord. 18. 5, 6.

2) ibidem 4, 2.

3) Herod. VII. 18. vit. Maxim. 14, 3.

4) vit. Gord. 8, 3. „quorum utrique mortem pestis illa minata est." Dändliker p. 243. 244.

5) ibidem 9, 5. „in plurimis autem libris invenio, et hunc Gordianum et filium eius pariter imperatores appellatos." vit. Maxim. 14, 3: „appellatus est omnibus Afris Augustus cum filio apud oppidum Thysdrum". Zosimus I. 14 (Bonn 1837) „οἱ τὴν Λιβύην οἰκοῦντες Γορδιανὸν καὶ τὸν ὁμώνυμον τούτῳ παῖδα βασιλέας ἀναδείξαντες".

6) Herod. VII. 6, 1—4. vit. Maxim. 14, 4. vit. Gord. 9, 6. Tum seditionem exortam esse, ut Aur. Vict. Caes. XXVI. refert, recte negat Dändliker p. 251.

7) vit. Gord. 9, 6. „filiusque legatus patris, exemplo Scipionum, ut Dexippus Graecae historiae scriptor auctor est, pari potestate succinctus est."

8) vit. Maxim. 14, 4 vit. Gord. 9, 7.

9) vit. Gord. 9, 7. Zosimus I. 14. Dändliker p. 293. not. 1.

10) vit. Gord. 11, 2.

aedem Castorum [1]) convocatus est. Cum Junius Syllanus consul litteras recitasset, senatorum animi magno gaudio impleti sunt Non solum Gordianos imperatores declaraverunt [2]), sed etiam Maximinum patriae hostem iudicaverunt [3]) et viginti viros elegerunt, inter quos Italicae regiones contra Maximinum pro Gordianis tuendae dividerentur [4]). Simul factum est, ut milites cum civibus, quibus Gordiani magnum congiarium multaque bona polliciti erant [5]), omnes Maximini amicos interficerent. Inter quos Sabinus consularis [6]), praefectus urbi, et Vitalianus [7]), qui praetorianis cohortibus praeerat, illo tempore mortem obierunt.

Dum ea Romae geruntur, Capelianus quidam, senatorii ordinis, qui Numidiae praeerat, contra Gordianos tumultum movit, quia Gordianus, qui ei iam in vita privata adversarius fuerat, imperator factus eum magistratu se abdicare et provincia decedere iusserat. Itaque ille magno cum exercitu, quem ad repellendos Mauros, Numidiae finibus imminentes, semper secum habebat, contra Carthaginem profectus Gordianum filium proelio devicit, in quo Gordianus ipse occisus est [8]). Gordianus pater, cum filii cladem comperisset, desperatis rebus mortem sibi laqueo conscivit [9]).

---

1) vit. Maxim. 16, 1.

2) vit. Gord. 10, 1.

3) ibidem 11, 1.

4) Viginti viros post electionem Gordianorum creatos esse, ex vita Gord. 10, 1, 2 et 22, 1. et Zos. I. 14 apparet, quamquam Capitolinus ipse in vita Maxim. 32, 3 eos post caedem imperatorum nominatos esse tradidit. Dändliker hanc rem p. 253 not. 2 satis copiose tractavit.

5) Herod. VII. 6, 4. Aurel. Victor. Caes. XXVI. vit. Gord. 10, 4. Tunc secundum vit. Gord. 10, 3 legatos Maximini Romam venisse „abolitionem praeteritorum spondentes" falsum esse quis est quin intellegat? Tantum enim aberat, ut legati Maximini iam Romae essent, ut ne nuntius quidem intra tam paucos dies Sirmium pervenire posset Gordianos imperatores factos esse.

6) vit. Maxim. 15, 1.

7) vit. Gord. 10, 5. Herod. VII 6, 9.

8) Herod. VII. 9. vit. Gord. 15.

9) vit. Gord. 16, 2. vit Maxim. 19, 2. Herod. VII. 9, 9. Amm. Marcell. (ed. Eyssenhardt) 26, 6, 20. cfr. Dändliker p. 258.

Sic imperatores, postquam viginti [1]) tantum dies chronographo auctore [2]) regnaverunt, ineunte Martio [3]) ex vita decesserunt.

Cuius rei nuntius vix Romam allatus erat, cum maximus timor patribus et populo incidit, quoniam Maximinum propter defectionem poenas expetiturum esse omnes persuasum habebant. Ubi senatus pertrepidus in aedem Concordiae [4]) [5]), ut de sua ipsius atque rei publicae salute deliberaret, convenit, ex viginti illis viris auctore Vectio Sabino duos consulares, Decium Caelium Calvinum [6]) Balbinum [7]) et M. Clodium Pupienum Maximum imperatores declaraverunt [8]), atque Maximum quidem, quippe qui peritissimus esset rei militaris, ut rebus bellicis, Balbinum, ut rebus domesticis praeesset [9]). Imperatores egressi e senatu in Capitolium se contulerunt et rem divinam fecerunt. Deinde ubi populo ad rostra convocato de senatusconsulto et electione sua orationem habuerunt, cives militesque, qui Maximi severitatem timebant, imperio illius vehementer obstiterunt atque adolescentulum Gordianum, senioris nepotem, Caesarem petiverunt. Eosdem speravisse puto se a nepote illas pecunias impetraturos esse, quas avunculus et avus polliciti erant. Senatus cum tumultuosis precibus populi resistere non auderet, Gordianum, quia per aetatem Augustus esse non potuit, novo senatusconsulto Caesarem creavit,

---

1) Löhrer: De C. Julio Vero Maximino p. 38—41, quamdiu regnaverint Gordiani, copiosissime atque accuratissime disquisivit.

2) Abhandlungen der königl. sächs Gesellsch. der Wissenschaften. hist.-phil. Klasse I. 647: „duo G. imper. dies XX.“

3) cfr. p. 11.

4) vit. Max et Balb. 1, 1.

5) Secundum Herod. VII. 10, 5 senatus „εἰς τὸν τοῦ Διὸς νεὼν Καπετωλίου“ convocatus est, id quod Dändliker p. 260 refellit.

6). Sallet Zeitschrift für Numismatik VIII p. 26. 27. Nomen Calvini nisi in uno nummo et in paucis milliariis nusquam invenitur.

7) Cohen IV. p. 112—124. Eckhel VII. p. 307. Imp. C. D. Cael. Balbinus; Imp. Caes. M. Clod. Pupienus.

8) vit. Gord. 22, 1. vit. Maxim. 20, 1.

9) vit. Max et Balb. 2, 5. Herod. VII. 10, 7.

quo factum est, ut tumultus sedaretur [1]) [2]). M. Clodius Pupienus Maximus, cui bellum contra Maximinum gerendum traditum est, statim cum ingenti exercitu praetorianis solis Romae manentibus profectus est [3]). Sed vix Roma exierat, cum inter praetorianos — erant enim veterani Maximini — et populum bellum intestinum exortum est, quo maxima Romae pars incendio deleta, et Balbinus seditionem sedaturus ictu lapidis percussus paene mortuus est.

Maximinus cum Gordianos imperatores creatos esse Sirmii comperisset, medio fere Martio [4]) magno cum exercitu contra Italiam profectus est. Paulo post ei nuntius allatus est Gordianis in Africa interfectis Maximum et Balbinum imperium iniisse et illum contra se missum esse [5]). Itaque Maximinus iter properabat et circiter id. April. Aquileiam pervenit. Cum hanc urbem bene munitam et omnibus rebus instructam triginta fere dies oppugnavisset neque ulla spes deditionis esset, una cum filio medio fere Maio ab iratis militibus occiditur [6]). Capita eorum, postquam Maximo Ravennae monstrata sunt, Romam sunt missa [7]) et quarto iam die post in urbem allata [8]). Maximus, qui Ravennae copias colligebat, Aquileiam contendit et exercitu magna ex parte dimisso Romam rediit, ubi maximis honoribus receptus est [9]). Sed etiam Balbinus et Maximus non multo post interfecti sunt. Nam milites

---

1) vit. Max et Balb. 3, 2—5; 8, 2-4; Herod. VII. 10, 9—16. Dändliker p. 264: Die Erhebung des Volkes und die Wahl Gordians.

2) vit. Maxim. 20, 3 Gordianum imperatorem fuisse traditur, quamquam ceteris locis, vit. Maxim. 20, 2, vit. Gord. 22, 2, 3, vit. Max et Balb. 3, 5; 8, 3. Caesar dicitur. Idem docet Herod VII. 10, 16. „Τῆς τε συγκλήτου Καίσαρα αὐτὸ ἀποδειξάσης, ἐπειδὴ διὰ τὴν ἡλικίαν οὐχ οἷόςτε ἦν προΐστασθαι τῶν πραγμάτων.“

3) vit. Max et Balb. 8, 4.

4) cfr. p. 13.

5) vit. Maxim. 20, 7, 8.

6) vit. Maxim. 23, 7. Herod. VIII. 5, 22. de tempore p. 13.

7) Herod. VIII. 5, 25. vit. Maxim. 23, 7.

8) vit Maxim. 25, 2.

9) Herod. VIII. 7. vit. Max et Balb. 11; 12; 13.

Maximini, quorum multi exercitui Maximi immixti Romam redierant, moleste ferebant loco principis, quem ipsi creassent, duos viros summam potestatem obtinere, qui a senatu ipsis inimicissimo facti essent. Qua re ludis Capitolinis, qui medio fere Junio celebrati sunt, ut mox apparebit, impetu in aulam regiam facto duos imperatores etiam inter se discordes captos in platea ceciderunt, et Gordianum adolescentulum imperatorem renuntiaverunt, quia alius in praesenti idoneus non erat [1]). Imperaverant autem Maximus et Balbinus dies nonaginta novem [2])

Ut paulo ante dixi, imperatores medio fere Junio interfecti sunt, id quod mihi demonstrandum est, cum nemo scriptorum, qui de his rebus rettulerunt, quidquam certi memoriae tradiderit. Atque tempus, quo Maximus et Balbinus occisi sunt, quam accuratissime definiri summi momenti est, quod eo tempore statuto etiam singula tempora, quando ipsi creati sint et quando Gordiani imperatores facti sint, apparebunt.

Atque si quidem leges quas Gordianus III dedit, perlegeris,

---

[1]) vit. Max et Balb. 13, 5; 14. Herod. VIII. 8.

[2]) Quod Zonaras (ed. Dindorf) l. XII. 17. dicit: „καὶ ἐβασίλευσαν κατὰ τινὰς μὲν ἡμέρας δύο καὶ εἴκοσι καθ' ἑτέρους δὲ οὐχ ὅλους μῆνας τρεῖς", apparet, tempus XXII dierum brevius esse, quam ut res, quas gesserint, intra tam paucos dies fieri potuerint. Eutych. ann. (Oxoniae 1658) p 387 inveniuntur haec: „post quem (sc. Maximinum) regnavit Pupienus Caesar, qui et Julianus appellatus est, tres menses, dein occisus est." Patet loco Juliani Balbinum ponendum esse. In chron. pasch. (ed. Bonn 1832) p. 501 legimus: „ἐβασίλευσε Βαλβῖνος μῆνας γ' καὶ ἐσφάγη, καὶ ἐβασίλευσεν Πούπλιος ἡμέρας ἑκατὸν καὶ ἐσφάγη". Ad haec dicit Clinton: Fasti Romani I. p. 252. ad annum 238, 2.: „The 100 days for Pupienus are not exact. Both were appointed together and both perished together." Sed mihi tres menses Balbini non accurati videntur, auctoritates chronici paschalis et chronographi comparanti. Nam l. c. p. 647 traditur hoc: „Pupienus et Balbinus imper. dies XCIX." Itaque eos, qui tres menses scripserunt, numerum quasi summatim comprehensum dedisse facile intellegitur. Quod si ita est, chronographi illud probabilius esse videtur.

primam a. d. X cal. Jul. a 238 [1]) [2]) datam esse videbis. Nisi igitur gravia argumenta afferri possunt, quibus hanc legem non genuinam esse demonstretur, concedamus necesse est Gordianum III ante hoc tempus, medio fere Junio [3]), imperatorem appellatum et illos duos principes interfectos esse. Ut haec lex vera sit, Gordianus a. V m. VIII d. III vel alios plures regnavit, quod extrema lex eiusdem imperatoris a. d. VII cal. Mart. a. 244 data est [4]). Quoniam autem omnes fere antiquitatis scriptores, qui de his rebus rettulerunt, paucis exceptis, Gordiani imperium VI annorum [5]) fuisse tradiderunt, sequeretur Gordianum mense Februario imperatorem creatum esse, id quod fieri non potuit, quia eo tempore Gordianos in Africa fuisse imperatores mox intellegemus. Immo illos scriptores rotundum quasi numerum dare voluisse manifestum est. At quae fides haberi potest illis

---

[1]) cod. iust. II. 10, 2.

[2]) de duobus illis legibus, quae secundum cod. iust. V. 70, 2 et VII. 43, 2 ante hunc diem datae sunt, cfr. Clinton a. 238. 3.

[3]) Mommsen C. J. L. III. 2. in indice sub Gordiano III p. 1118 ad inscriptionem 4820, quae haec est:

B. F. Cos. Leg.
II Ital. P. F. Aug.
N. Ut. Vovit. Ded
Pio. Et. Pontiano. cos.
VIIII. Kal. Julias

adnotat: „Gordianum intellegi non Maximum et Balbinum, ex singulari colligitur", quod haud facile credere possum. Nam fieri non potuit, ut nuntius Gordiani electi intra tam paucos dies in Noricum, ubi inventa est, perveniret. Ni fallor, hoc marmor ad imperatorem Maximinum pertinet, cuius caedes dubitonum ibi iam cognita fuerit.

[4]) cod. iust. VI. 20, 6. VII cal. Mart., non VII cal. Mai. legendum esse Clinton ad a. 244 p. 262, 2 coniecit. Imperator enim Philippus primam legem iam a. d. II id. Mart. (cod. iust. III. 42, 6.), alteram pridie cal. April. dedit (cod. iust. II. 4, 10), ut haud dubie illi coniecturae locum dari liceat.

[5]) vit. Gord. c. 31, 1. „imperavit Gordianus annos sex." Aurel. Vict. Caes. XXVII „sexcennio imperii", idem Epitome XXVII „imperavit annis sex" Zonaras XII. 18: „ἐπὶ ἐνιαυτοὺς ἡγεμονεύσαντα ἕξ"; nonnulli alii idem scribunt.

duobus auctoribus, qui imperio Gordiani brevius temporis spatium tribuunt? Nam in chronographo p. 647 inveniuntur haec: „Gordianus imper. ann. V. m. V. d. V.“ Unusquisque primo aspectu concedet numerum V ter repetitum aliquantum suspicionis movere. Sed hoc neglecto, si illud recte traditum esset, Gordianum altera demum parte mensis Septembris imperatorem creatum esse statuendum esset, quod dubito, num quis probare conetur. Nam contra hanc opinionem complures leges [1]), quae omnes clara et firma testimonia sunt, afferri possunt. Itaque in chronographo illud tempus falso traditum esse concedas. Neque enim res aliter intellegi potest, nisi numerum V mensium cum numero VIII commutatum esse. Verum Pagius contendit hanc legem non a Gordiano, sed ab Alexandro datam esse [2]). Ad haec iam recte respondit Tillemontius [3]): „Je voudrois qu'il en eust donné de bonnes preuves: car cela ne paroist point par le Code. Il ajoute que nous n'avons aucune loy de Gordien jusqu' au 11 d'aoust. Cependant celles du 16 et 23 Juillet portent encore son nom, de sorteque s'il faut s'en tenir à l'autorité du Code, nous ne voyons pas moyen de douter que Maxime et Balbin ne soient morts avant le 22 Juin.“ Mea quoque sententia, priusquam rationibus gravibus et certis illam legem genuinam esse non posse probatum sit, Gordianum ante illum diem creatum esse necesse est. At Aemilius Müller scribit [4]): „Wenn jedoch Borghesi [5]) die Erhebung der Gordiane schon um die Mitte Februars und demnach die Anerkennung Gordians III um den 20 Juni ansetzt, so scheint dem entgegenzustehen, was Herodian erzählt, dass Capellian die Africaner durch Verbrennung der Saaten strafte, was gewiss zu keiner früheren Jahreszeit als zu Ende April ausführbar war. Hiernach würde die Erhebung der älteren Gordiane auf Ende März, die Anerkennung Gordians III auf Ende Juli fallen.“ Ad haec respondemus Herodiani illud „ἀγροὺς τε καὶ κώμας ἐμπιμπράναι λεηλατεῖν τε“ [1]) nihil aliud significare quam nostrum „Aecker und Dörfer mit Feuer und Schwert verwüsten“. Quod vero Müller Gordianum III exeunte Julio creatum esse iudicat, haec opinio duabus aliis legibus satis refellitur [2]).

[1]) cod. iust. IX. 1, 8. a. d. XVII cal. Aug.; V. 51, 5. a. d. X cal. Aug.; VI. 3, 11. a. d. III non. Aug.; II. 22, 2. a. d. VIII id. Aug., multae aliae. cfr. Clinton I. p. 253, 255. II p. 48. 49.

[2]) Baron. ann. eccl. cum critice Pagii. Lucae 1738 II. p. 540. IX: „haec lex non a Gordiano sed ab Alexandro, lex vero 3 data est a Gordiano, III id. Augusti, haec prima quae exstet legum ab eo emissarum.“

[3]) Tillemont: Histoire des empereurs. III. 2. p. 815. 816 Note XII.

[4]) Ersch und Gruber: Encyclopaedie der Wissenschaften und Künste. I. 74. sub voce „Gordianus“ p. 324. not. 35.

[5]) Borghesi: Bull. arch. Neap., qui liber ab Aemilio Müllero citatur, mihi non praesto fuit.

Quam ob rem non est, cur dubitem, quin Gordianus III ante illum diem imperator factus sit, et ne cetera quidem tempora ab hac opinione discrepare patebit.

Gordianum autem inter a. d. XVII et a. d XII cal. Jul. in imperio collocatum esse necesse est. Nonaginta enim novem diebus — qui sunt dies Maximi et Balbini — ab hoc tempore reductis initium imperii eorum fuit circiter non. Mart., Gordianorum autem, qui viginti dies regnaverunt, id. fere Febr. Sed hos imperatores non a. d. IV. id. Febr. creatos esse sequitur ex eo, quod apud Herodianum [3]) scriptum invenimus: „συμπληρωμένης αὐτῷ (sc. Μαξιμίνῳ) τριετοῦς βασιλείας . . . . . πρῶτοι ὅπλα ἐκίνησαν ἔς τε ἀπόστασιν εὐσταθῶς ὥρμησαν Λίβυες.“ cum Maximinus illo die a. 235. rerum potitus sit [4]). Qua re ne id quidem fieri potuit, ut Gordianus III Maximo et Balbino interfectis a. id. Jun. imperium iniret.

Maximum et Balbinum mense Martio imperatores factos esse praeclare firmatur per Capitolinum, qui dicens Gordianum simul cum iis Caesarem nominatum esse diserte addit [5]): „et hic

[1]) VII. 9, 24.

[2]) cod. iust. IX. 1, 8. a. d. XVII cal. Aug.; V. 51, 5. a d. X cal. Aug.

[3]) VII. 4, 2.

[4]) Clinton ad. a. 235; Löhrer p. 36.

[5]) vit. Gord. 23, 2.

finis belli intestini fuit, quum esset delatus Gordiano consulatus. Sed indicium non diu imperaturi Gordiani hoc fuit, quod eclipsis solis facta est, ut nox crederetur." Petavius autem docet[1]) a. 238 defectionem solis a. d. IV non. Apr. accidisse, ut dubium esse non possit, quin verba Capitolini ad hanc[2]) eclipsim referenda sint. Ex quo sequitur, Maximum atque Balbinum et Gordianum paulo ante illum diem creatos esse[3]).

---

[1]) Petavius: De doctrina temporum t. II. l. XI. 26 p. 186: „Duae solis insignes defectiones anno Christi CCXXXVII et CCXXXVIII acciderunt. Prior Aprilis XII „cuius ex Parisinis tabulis ea delineatio colligitur . . . . . Igitur totius eclipsis duratio fuit horarum 1, 55". De altera defectione docet l. c.: „Anno vero CCXXXVIII Aprilis 2 contigit eiusdem sideris defectio . . . . Tota proinde tenuit horam 1,48' motu apparente." Mirum autem utique est, quod ita concludit: „Ex iis solaribus deliquiis prius sine dubio congruit ad historiam Capitolini. Nam longe maius posteriore fuit." Falso enim opinatur Petavius Gordianos mense Maio 236 creatos et mense uno post interfectos esse, Maximum et Balbinum mense Iunio eiusdem anni imperatores et Gordianum III eodem tempore Caesarem nominatos esse.

[2]) Löhrer, qui p. 42 indicat „Gordianos . . . fere initio Aprilis mensis imperatores factos esse" p. 43 probare conatur „Capitolini illud non tam ad initium Gordiani III quam Gordiani I referendum esse" „quod omen illud, quod postea factum esse apparet, potius de Gordiano sene, qui re vera uno mense nondum exacto de imperio deiectus est quam de Gordiano adulescente fictum est, qui per annos quinque tenuit." Quam sententiam rectam esse minime concedo. Nam ne dicam Capitolinum illud prodigium de Gordiano III disertis verbis confirmare, quantula spes esse potuit, virum iam octogenarium diu imperaturum esse: dum facile fieri potest, ut puer tredecim annorum magnam partem saeculi imperium obtineat.

[3]) In computandis temporibus mecum consentit Clinton: ad. a. 238: „The Gordians were proclaimed in February; were slain in March (after 1m 6d see Casaubon ad Capitolin Gordian. c. 16.) Pupienus and Balbinus were appointed in March, Maximin reached Aquileia in April, was slain in the beginning of May; Pupienus and Balbinus were slain and Gordian III proclaimed about the middle of June." Hertzberg (Oncken) Geschichte des römischen Kaiserreiches p. 550. „Und als das Heer nun im April 238 vor Aquileja erschien etc." „Und so geschah es, dass im Mai des Jahres 238 Soldaten der II parthischen Legion zu offener Meuterei vorschritten." „Als nämlich im Juni 238 in Rom die capitolinischen Spiele gefeiert wurden, explodirte plötzlich ein furchtbarer

Si tempus, quo opus erat ad electionem Gordianorum Maximino referendam, consideraverimus, Maximinus post medium fere Martium castra Sirmio movisse et circiter id. April. Aquileiam pervenisse nobis videbitur. Quam urbem postquam triginta fere dies oppugnavit, medio Maio vel paulo post occiditur.

Sed haec hactenus, quoniam quaestiones chronologicas satis examinasse atque perlustrasse mihi videor. Jam pauca de genere Gordiani III dicam.

Antiqui scriptores inter se dissentiunt, utrum Gordianus III filius Gordiani apud Carthaginem proelio interfecti an ex Maecia Faustina, filia Gordiani patris, natus sit. Capitolinus ipse, qui omnium antiquitatis auctorum vitam Gordianorum copiosissime memoriae tradidit, illud integrum reliquit[1]). Sed Herodianus,

---

Aufstand der Praetorianer." Contra Ranke: Weltgeschichte III p. 405 not. 1 ita censet: „Da mit dem 16 Juli 238 eine ununterbrochene Reihe von Constitutionen beginnt, welche den Namen Gordians tragen, so muss man annehmen, dass er vor diesem Tage zum Augustus ausgerufen worden ist. Maximus und Balbinus waren 99 Tage (nach dem Chronographen von 354) Imperatoren. Dies führt auf den Anfang des April als die Zeit ihrer Erhebung, und man ist versucht, damit die von Capitolinus v. Gord. c. 23. erwähnte Sonnenfinsterniss, welche nur die vom 2 April 238 (nicht die vom 12 April 237) sein kann, zu combiniren. Dann würde das Imperium der beiden älteren Gordiane, dessen Dauer auf 20 Tage angegeben wird, in den Monat März fallen; am 2 April die Erhebung des Maximus und Balbinus zu Augusti, des dritten Gordian zum Caesar stattgefunden haben; um Mitte April die Ermordung Maximins (Eutrop IX. 1: imperaverat trienno et paucis diebus), am 10 Juli die des Maximus und Balbinus erfolgt und gleichzeitig der dritte Gordian zum Augustus aufgerufen worden sein." Eckhel VII. p. 295 putat, „forte initio Martii" Gordianos imperatores factos esse, Maximinum „circiter initio Aprilis" Sirmio castra movisse, „paullo post" Gordianos in Africa periisse, „exeunte Aprili" Aquileiam oppugnari coeptam esse, Maximinum cum filio „medio Maio" mortem obiisse, „exeunte circiter Julio" Pupienum et Maximum caesos et Gordianum imperatorem creatum esse. Quod Löhrer p. 42 invenit: „Gordianos . . fere initio Aprilis mensis imperatores factos esse" ex hoc sequeretur, Gordianum III exeunte Julio vel ineunte demum Augusto imperium iniisse, quod fieri non potuisse supra ostendi.

[1]) vit. Gord. 22, 4. „Hic natus est, ut plures adserunt ex filia Gordiani ut unus aut duo (nam amplius invenire non potui) ex filio, qui in Africa perit."

quem Gordianorum aequalem fuisse constat, illum ex filia natum esse refert [1]). Certissimum vero testimonium praebet inscriptio quaedam, in qua Gordianus III divi Gordiani nepos et divi Gordiani sororis filius vocatur [2]).

Itaque, quamquam quis pater fuerit, nusquam diserte dicitur [3]), Gordianum III Junio Balbo genitum esse apparet, quoniam unica Gordiani patris filia Maecia Faustina, ut supra dixi, illi viro nupta erat. Ante diem XIII kal. Jan. [4]) a. 224 natus apud matrem Romae educatus [5]) est et iam parvulus ad rem publicam accessit. Nam puer tredecim annorum fuisse videtur [6]), cum consensu militum atque civium Caesar factus est. Ut iam supra dixi, Maximo et Balbino imperatoribus interfectis a. d. XII fere cal. Jul. imperare coepit.

---

1) VII. 10, 14. ἦν τι παιδίον νήπιον τῆς Γορδιανοῦ θυγατρὸς τέκνον, τῷ πάππῳ ὁμώνυμον

2) Orelli-Henzen 5529. „Imp. Caes. M. Antonio. Gordiano invi. pio ..... divi Gordiani nepoti et divi Gordiani sororis filio res . . . etc.“

3) Aurel. Victor Ep. XXVII: „Gordianus nepos Gordiani ex filia ortus Romae clarissimo patre imperavit annis sex.“ Quod pater nullo loco nominatur, iam Cuperus: „Historia trium Gordianorum. Daventriae 1697“ p. 21 opinatur „patrem Gordiani Pii Iulium Balbum, supremum tunc temporis obiisse diem et inde fieri ut nulla ipsius in historia filii sive Caesaris sive Augusti fiat mentio.“

4) Orelli-Henzen 1104. „Natales Caesarum: Mens. Januar. divi Gordiani XIII Kal. Jan.“

5) vit. Gord. 22, 5.

6) Etiam de aetate scriptores inter se discrepant, ut facile intelleges; ut vit. Gord. 22, 2 „tunc populus et milites Gordianum parvulum, annos agentem ut plerique adserunt undecim ut nonnulli tredecim ut Junius Cordus dicit sedecim, nam vicesimo et secundo anno eum periisse adserit.“ vit. Max. et Balb. 3, 4. „hic nepos erat Gordiani ex filia, ... annum agens quartum decimum ut plerique dicunt.“ Aur. Vict. Ep. XXVII „occiditur anno vitae undevicesimo“, Herod. VIII. 8, 21. „ὁ δὲ Γορδιανὸς περὶ ἔτη που γεγονὼς τρισκαίδεκα αὐτοκράτωρ τε ἀνεδείχθη“. Annos sedecim Gordianum III natum fuisse minime puto, cum vel adolescentulus vel parvulus vel puerulus appeletur. Immo iis assentiri velim, qui eum tredecim annorum fuisse censent, quod et Herodianus et Capitolinus in vit. Max et Balb. 3, 4 et Aurel. Victor de hac aetate inter se consentiunt, ita ut exeunte a. 224 natus sit.

Qua erat aetate, non mirum erat, quod Gordianus non suo iudicio rem publicam regebat, sed sub tutela matris suae spadones et adulatores rerum potiebantur, qui magistratus amicis auro vendebant atque aerarium ipsum expilabant. Imprimis Maurus quidam, qui imperito imperatori Gaudianos, Reverendos, Montanos, perditos atque depravatos viros circumdedit, Felicem praetorianis cohortibus praefecit, plurimum valuisse videtur. Quo factum est, ut Gordianus quasi inclusus consilia, quae antea a pessimis hominibus capta erant, hortatoribus obsecutus vel laudaret vel vituperaret et optimos cives, quos non decebat, patria expelleret, detestandos homines in summos honores adduceret [1]). Et potuit imperator quidem scribere, quod eum Timesitheo scripsisse sane falso contenditur: „Denique nunc intellego, multa non esse facienda, quae feci.“ (vit. Gord. 25, 2.) Quae corrupta atque perfida administratio imperii permansit, donec Timesitheus, vir optimus atque eruditissimus, a. 241 rei publicae praefectus est.

Populi parum intererat, quomodo res gererentur, sed eo magis se voluptatibus dedit, quo maior metus Maximini civibus inciderat [2]). Quid mirum igitur, quod debili adulescentulo regnante res in dies magis confundebantur, et seditiones intestinae atque bella externa imminebant? Valde doleo, quod Capitolinus tam pauca, quamvis plura, quam ceteri, de regno Gordiani III memoriae tradidit. Ita fit, ut nihil eorum, quae usque ad a. 240 toto orbe Romano acciderint, acceperimus. Attamen a. 239 bellum aliquod gestum esse satis clare videbis, si nummos illius anni inspexeris, quorum permulti signa ad bellum pertinentia in parte aversa habent [3]). Nostrae subvenit sententiae Eckhelius, cum

---

1) vit. Gord. 24; 25.

2) ibidem 23, 3.

3) Cohen IV. Gordien le Pieux. p. 134. n. 79: Imp. Caes. M. Ant. Gordianus Aug.; Revers: P. M. Tr. P. II. cos. P. P. La Valeur casquée debout à gauche, appuyée sur un bouclier et tenant une haste — n. 84. Revers: P. M. Tr. P. II. cos. P. P. Victoire marchant à gauche et tenant une couronne et une palme p. 135, n. 95. Revers: P. M. Tr. P. II. cos. P. P. Gordien à

a. 993 u. c., qui annus respondet a 240 p. Ch., coloniam Viminacium deductam esse ostendit[1]); quae urbs ad Istrum flumen sita haud longe aberat a Sirmio. Ex Capitolino autem scimus sub Maximo et Balbino a Carpis contra Moesos pugnatum esse. Idem scriptor ita pergit: „fuit et belli Scythici principium, fuit et Histriae excidium eo tempore, ut autem Dexippus dicit Histricae civitatis.“ [2]) Quod bellum ita exortum esse videtur. Ut iam supra dixi, Maximinus Sirmii bellum contra Sarmates gerendum parabat, cum contra Romam proficisci coactus est. Qui nuntius cum ad illas gentes pervenisset, hostes in fines Romanorum incurrerunt, ut Carpi Moesis bellum inferrent, Gothi[3]) Istropolim[4]) obsessam expugnarent atque delerent. Sed quoniam imperium Maximi et Balbini brevissimum fuit, veri simillimum est eas etiam sub Gordiano bellum persecutas esse.

Haec opinio alia causa firmari videtur. Nam nummis demonstratur, Viminacii VII legionem collocatam fuisse et IV[5]), cui legioni Serapammonem quendam praefuisse Capitolinus docet. Atqui hic dux rem male gessisse videtur. In illa enim epistola ficta, quam imperator misit Timesitheo, legimus haec: „intellego

---

cheval en pacificateur, levant la main droite; praeterea cfr. n. 190. alios afferre possum.

1) t. II. p. 8–13.

2) vit. Max et Balb. 16, 3

3) Wietersheim-Dahn: Geschichte der Völkerwanderung. p. 192. „Unstreitig hat Dexippus sein Werk über die skythischen Kriege (τὰ Σκυθικά) im Wesentlichen mit diesem Ereignisse begonnen. Derselbe versteht unter Skythen sämmtliche barbarische Völker nördlich und östlich der Donau, ohne die Nationalität streng zu unterscheiden, hauptsächlich aber die Gothen.“

4) Wietersheim-Dahn p. 192. „Der Ausdruck „Histrien“ enthält, da an die istrische, damals zu Italien gehörige Halbinsel hier nicht zu denken ist, wiederum eine von Capitolins gerade in dieser Biographie so zahlreichen Sonderbarkeiten. Es ist Istropolis, die istrische Stadt am schwarzen Meere in Mösien, unfern dem heutigen Kostendsche, etwa 15 Meilen nördlich von Varna, die hier gemeint, damals also erobert worden sein muss.“

5) Eckhel II. p. 8.

neque .... neque Serapammoni quartam legionem credendam fuisse“[1]). Equidem non intellego, quam aliam sententiam haec verba habere possint, nisi ducem legioni praeesse nescivisse, id quod in bello facillime clarum fit. Itaque Romanos, quod efficere non potuerunt, ut hostes bello devincerent, illam coloniam condidisse opinor, quae esset praesidium contra irruentes hostes. Quo concesso a. 238 et a. 239 contra Carpos pugnatum est.

Quod Gordianus in inscriptione quadam „victor Germanorum“ vocatur[2]), sequitur sub imperio Gordiani III cum Germanis dimicatum esse, quamquam de hac re nihil memoriae traditum est[3]). Sed cum ab a. 241 summa opera in expeditionem Persarum collata sit, fieri non potuit, ut bellum post hunc annum duceretur. Itaque, quod Capitolinus narrat, iam in eo fuisse, ut Balbinus contra Germanos proficisceretur[4]), cum subito interfectus est, haec opinio nihil habet incredibile, bellum initio imperii Gordiani gestum esse. Haec fere sunt, quae de bello Germanorum coniectura statui licet.

Dum Capitolinus (et ceteri scriptores) a. 238 et 239 silentio praetereunt, ab a. 240 res ordine quodam temporum servato

---

1) vit. Gord. 25, 2.

2) cfr. p. 28.

3) Vopiscus in vit. Aurel. (Script. hist. Aug.) 7, 1, 2 scribit: „idem (sc. Aurelianus) apud Moguntiacum tribunus legionis sextae Gallicanae Francos irruentes, cum vagarentur per totam Galliam, sic afflixit, ut trecentos ex his captos septingentis interemptis sub corona vendiderit. unde iterum de eo facta est cantilena: „Mille Sarmatas, mille Francos semel et semel occidimus, mille Persas quaerimus.““ Ex verbis „mille Persas quaerimus“ nonnulli recentiores scriptores concluserunt, Aurelianum Gordiano III regnante Germanos devicisse. Nec vero praeterire debemus, Persas bis fines transgressos esse, Gordiano et Valeriano imperatoribus, ut contra illam sententiam Clintonius Francos a. 256 (vide hunc annum l. c) ab Aureliano victos esse censeat. Utut res se habet, vix pro certo statui potest, quando illa res gesta sit. Attamen illa opinio probabilior est, Aurelianum sub Valeriano imperatore Germanos vicisse, quod Aurelianus a. 214 natus (Becker: Imperator L. Domitius Aurelianus p. 10. not. 3) a. 239 annum vicesimum quintum agebat, cum tribunus non ante annum tricesimum creari soleret.

4) vit. Max. et Balb. 13, 5.

cum aliqua fide, quamvis breviter, ille retulit. Atque primum quidem eo auctore a. 240 Venusto, Sabino consulibus in Africa seditio exorta est. Quo modo Capelianus Gordianis interfectis huic provinciae consuluerit, non magis scimus, quam quibus ex causis Afri iterum defecerint. Veri autem simillimum est, Sabinianum, quo duce illi rebellabant, loco tam debilis imperatoris se ipsum principem facere voluisse, qua de causa Carthaginienses contra Gordianum incitabat. Sed procurator Mauretaniae, qui cum exercitu contra eum proficiscebatur, postquam primum a Sabiniani amicis acerrime oppressus est, auxilio misso copias hostium devicit atque auctori rebellionis ita instabat, ut Carthaginienses ipsi Sabinianum captum Romanis traderent et veniam defectionis peterent. Qua impetrata pax in Africa restituta est [1]. Sed vix hoc periculum depulsum erat, cum multo maius ad fines Persarum imminuit.

Iam temporibus imperatoris Alexandri Severi Persa quidam humili genere, ut dicunt, natus, cui nomen erat Artaxerxi, cum procurator provinciae cuiusdam Parthiae factus esset, seditione parata regem Parthorum Artabanum compluribus proeliis devictum interfecerat atque regnum deleverat. Qui cum rex Persarum factus in fines Romanorum invasisset et agris devastatis urbibusque nonnullis captis magnum damnum Romanis attulisset, Alexander magno cum exercitu contra eum profectus est. Multis militibus amissis acerrimo bello Artaxerxem devicit atque a. 233 victor Romam rediit [2]. Sed cum Artaxerxes Maximino regnante iterum arma sumpsisset atque Nisibi et Carris [3]) aliisque urbibus captis fines Romanorum popularetur, Romani Persis bellum inferre constituerunt atque Maximino interfecto Maximo hoc bellum geren-

1) vit. Gord. 23, 4; Zos. I. 17.

2) Otto Porrath: Der Kaiser Alexander Severus. Halle 1876. p. 49—55.

3) Zonaras (ed. Dindorf) XII. 18. „ὃς (sc. Γορδιανὸς) . . . . Νίσιβιν καὶ Κάρας Ῥωμαίοις αὖθις ἐπανεσώσατο, ὑπὸ Περσῶν ἐπὶ Μαξιμίνου ὑφαρπασθείσας.“

dum tradiderunt [1]). Sed quoniam imperator paulo post mortem obiit, bellum Persicum dilatum est. Cum autem Artaxerxe rege a. fere 239 mortuo [2]) Sapores filius, qui patri succedebat, bellum medios in fines Romanorum inferret et Antiochiam urbem oppugnaret, Romani arma contra eum capere coacti sunt. Bene accidit, quod seditio Sabiniani tam celeriter sedata erat; bellum enim gravissimum evasurum omnibus persuasum erat.

Gordianus, quod in bello rudis erat, virum doctissimum atque omnium rerum peritissimum, G. Furium Sabinium Aquilam Timesitheum [3]) sibi conciliabat. Postquam a. 241, quo ipse iterum atque Pompeianus consules erant, filiam illius [4]), Furiam Sabiniam Tranquillinam [5]), in matrimonium duxit, socerum praefectum praetorio fecit. Ut ex inscriptione [6]) quadam videre possumus, Timesitheus iam multis provinciis praefuerat et in re militari saepius versatus erat. Qui vir ubi primum magistratum iniit, nihil antiquius habuit, quam ut nefariis illis atque perditis viris e consilio imperatoris amotis finem faceret imperii spadonum atque ipse pro genero suo gubernacula rei publicae capesseret. Quod cum factum esset, illis magistratum, quem ambitione gerebant, abrogavit et administrationem ordinemque rectum restituit. Tum acerrime bellum Persicum parabat. Cum exercitum deligeret, senes aut adolescentes tenerae aetatis stipendia facere non passus est. Postquam omnia necessaria ad bellum parata sunt, demum a. 242, G. Vettio Attico, G. Asinio Praetextato consulibus Gordianus, cum templum Iani aperuisset — qui ritus iam per lon-

1) vit. Max. et Balb. 13, 5.

2) Carl Friedr. Richter: Historisch-kritischer Versuch über die Arsaciden- und Sassaniden-Dynastie. Leipz. 1804. p. 165.

3) In vit. Gord. semper Misitheus vocatur, Zos. I. 17 eum „Τιμησικλῆς,“ Zonar. XII. 18. „Τιμησοκλῆς“ nominat. In inscriptionibus hic Temesitheus (Orelli-Henzen 5530) illic Timisitheus (l. c. 5531) appellatur. Eckhel VII. p. 319 „Timesitheus“ legendum esse docet.

4) vit. Gord. 23, 6.

5) de nomine Eckhel VII. p. 318. 319.

6) Orelli-Henzen 5530.

gum temporis spatium non celebratus esse videbatur [1]) — contra Persas profectus est. Quo tempore discesserit, nusquam invenitur. Exercitui ingenti per Moesiam atque Thraciam progredienti ubique hostes obstiterunt, quos Gothos fuisse satis manifestum est [2]) Quamquam ad Philippos Gordianus ab Alanis proelio victus est [3]), tamen rem bene gessisse videtur, si quidem Capitolino credere licet [4]). Gothos autem tum a Romanis, *Menophilo quodam adiuvante* victos esse, non magis credo, quam illud aliud, quod Wietersheim opinatur [5]), imperatorem cum illa gente subsidiis promissis foedus iniisse et Menophilum illum Moesiae praefecisse. Nam Petri Patricii fragmentum [6]), quo nixus Wietersheim illud conclusit, huc omnino non pertinet, ut continuo apparebit. Legimus enim illo loco Carpos invidia flagrantes, quod Gothi stipendia a Romanis acciperent, legatos ad Tullium Menophilum, ducem Moesiae, misisse, ut item pecunias peterent, quas non adepti sunt. Cum quattuor mensibus post denuo petiissent, eos tribus mensibus exactis iterum venire dux iussit. Quamquam ne tum quidem quidquam impetrabant, in patriam redierunt *et per tres annos*, quibus Menophilus provinciae praeerat, in otio permanserunt.

Cum ex fragmento ipso, quando res evenerit, intellegi non possit, Wietersheim coniecturam fecit quae haec est: „Die drei Jahre der Verwaltung des Menophilos, während deren sich diese (die Carpen) nach Petrus Patricius ruhig verhielten, mussten um Ende 245 oder Anfang 246 abgelaufen sein“ [8]). Itaque, si res

---

1) Aurel. Vict. Caes. XXVII „cum prius Jani aedes, quas Marcus clauserat, patentes more veterum fecisset.“

2) cfr. p. 16 not. 3.

3) vit. Gord. 34, 4.

4) vit Gord. 26, 4. „fecit iter in Moesiam atque in ipso procinctu quicquid hostium in Thraciis fuit delevit fugavit expulit atque summovit.“

5) Wietersheim-Dahn I. p. 196. 197.

6) Petrus Patricius (Corp. script. hist. Byz. ed. Bonn) I. p. 124—126. cfr. Wietersheim-Dahn I. p. 194—197.

8) I. 197; cfr. p. 195: „Die Zeit dieses Ereignisses lässt sich mit

ita se haberet, et Gothos et Carpos per illos annos pacem servasse necesse esset. Contra Capitolinus narrat [1]): „Argunt Scytharum rex finitimorum regna vastabat, maxime quod comperrerat, Misitheum periisse.“ Quoniam autem Timesitheus a 243 mortem obiit, ut demonstrabitur, sequitur illo anno Scythas [2]) incursiones redintegrasse, neque illud Petri Patricii cum hac re consentire. Itaque dubitari nequit, quin res alio tempore acciderit.

Quod Gordianus „victor Gothorum“ in illa una inscriptione [3]) nominatur, hoc nihil aliud significare videtur, nisi imperatorem illam gentem, quae iter exercitus interrumpere conabatur, propulsasse. Pariter ei proter proelia parvula, quibus tum contendit cum Sarmatis, cognomen „victor Sarmatarum“ inditum esse, quis est, qui neget?

---

annähernder Sicherheit bestimmen, da die Excerpte in dem auf Befehl Constantins Porphyrogenitus (zu Anfang des zehnten Jahrhunderts) verfassten Werke de legationibus, welchem wir die Bruchstücke aus Petrus Patricius verdanken, streng chronologisch geordnet sind, und das Fragliche hiernach in die Zeit zwischen Marc Aurel und Sapor fällt, der bis 272 lebte. Wenn aber die Erwähnung der Gothen im römischen Gebiete an sich schon auf die Zeit nach Caracalla schliessen lässt, so scheint auch der Menophilos des Petrus Patricius mit dem von Herodian (III, 2) erwähnten Myniphilos (nach Capitolin Maxim c. 21. Menophilos) der sich bei Vertheidigung Aquilejas so auszeichnete . . . . identisch zu sein.“ p. 196, postquam narravit, a. 238 Istropolim a Gothis expugnatam esse, ita pergit: „Was hierauf geschah, wissen wir nicht, finden aber schon vier Jahre später, im Jahre 242, wiederum und zwar viel tiefer im Lande, diesseits des Hämus in Thrakien Feinde — wohl dieselben — welche diesmal aber durch Gordian gründlich geschlagen und vertrieben worden sein sollen. Vermuthlich wirkte nun hierbei jener Menophilus mit, der sich in Aquileja so ausgezeichnet hatte, und behielt nachher den Befehl in der Provinz. Gordian aber mochte noch vor seinem Abzuge mit den nach der Inschrift: „victor Gothorum“ zwar besiegten, aber immer noch gefährlichen Gothen einen Friedens- und Subsidienvertrag geschlossen haben. Hierüber erbittert, sandten die Carpen die berichtete Gesandtschaft ab. — Die drei Jahre der Verwaltung etc.“

1) vit. Gord. 31, 1.

2) cfr. p. 16 not. 3.

3) cfr. p. 28.

Hostibus igitur fugatis Gordianus exercitum Hellespontum transduxit, ad quem traiectum nonnulli nummi pertinent[1]). Deinde nullo resistente Asiam pertransiit et Syriam intravit, in qua terra Persae primum Romanis occurrebant. Antiochia urbs iam in potestate Saporis regis erat. Sed exercitu nonnullis proeliis victo Sapores in regnum redire coactus est; tantus ei inciderat timor Romanorum, ut praesidia ex civitatibus sua sponte deduceret easque integras civibus redderet, ita ut nihil, quod ad eorum fortunas pertineret, auferret[2]). Deinde propere Euphratem flumen transmisit. Atque Muratorius[3]) putat verba Petri Patricii[4]) fortasse huc pertinere; qui narrat Saporis milites Euphrate traiecto inter se complexos esse magnopere laetantes, quod gladios Romanorum effugissent; tempus autem, quo illud acciderit, addere omisit. Gordianus Antiochia ineunte fere a. 243 recuperata hostes persecutus ad Carras pervenit; quam urbem cum cepisset, contra Nisibim, quae in potestate Persarum erat, profectus est. Sed progredienti exercitui Sapores iterum obstitit apud Resainam: quae urbs sita est in itinere, quod carris Nisibim ducit[5]). Hostibus hac quoque pugna superatis et fugatis[6]), Nisibim cepit; quo factum est, ut omnes provinciae, quas Persae in suam potestatem

1) Cohen IV n. 196, 323, 324.

2) vit. Gord. 26, 5, 6; 27, 1.

3) Geschichte von Italien, aus dem Italienischen übersetzt. Zweiter Theil. Vom Jahr Christi CCXXII bis CCCC. Leipz. 1745. p. 68: „Vielleicht ist damals geschehen, was Petrus Patricius in seinen zusammen gelesenen Nachrichten von der Gesandschaft erzählet, nehmlich, als Sapor über den Euphrat gewesen wäre, hätten sich seine Soldaten unter einander umarmet. So gross war ihre Freude, dass sie einer so grossen Gefahr entgangen wären, weil sie alle Augenblicke glaubten, die Römer kämen mit den Schwerdtern hinter ihnen her.“

4) I. p. 126

5) Alb. Forbiger, Handbuch der alten Geographie. Leipz. 1844. Zweiter Band p. 634: „Resaina . . . . am Chaboras . . . . unfern seiner Quellen und an der Strasse von Carrae nach Nicephorium, 37 Mill. von Carrae, 88 Mill. von Nisibis . . . Bei ihr erfocht Gordianus einen Sieg über die Perser.“

6) Amm. Marc. XXIII. 5.

redegerant, Romanis rursus obtemperarent[1]). Iam Gordianus in summo gloriae gradu collocatus erat, ut ei in animo esset, Saporem regem in eius ipsa terra aggredi atque contra Ktesiphontem caput proficisci, cum et ipse alteram fortunam expertus est. Nam Timesitheus, cuius consilio atque prudentia omnes res bene gestae erant, insidiis Philippi, qui postea imperator factus est, periit.

Quomodo vir ille exercitui providerit, facile intellegitur ex eo quod nulla urbs limitanea potior erat, quae non magnam frumenti hordei, laridi copiam conditam haberet. Quamquam Capitolinus modum excedit, cum dicit urbes potiores exercitum per totum annum[2]) ferre potuisse, tantum tamen constare videtur militibus, donec Timesitheus vivebat, nunquam victum defuisse. Idem cum esset praefectus, arma militum inspexit, castra omnia fossis circumdedit noctibusque vigilias visitabat. Quae cum ita essent, milites semper et bono animo erant et acerrima disciplina militari coërcebantur, et cum Timesitheus in proeliis se fortem atque peritum ducem praebuisset, omnes eum cum ex animo diligebant, tum timebant, ut et milites et tribuni ducesque accuratissime officiis satisfacerent[3]). Sed ipsa merita ei perniciei fuerunt. Erat enim in exercitu tribunus quidam Philippus, qui, cum gloriae cupidissimus esset, virtuti atque auctoritati Timesithei invidebat, et eum e medio tollere constituit, ut ipse praefectus praetorio fieret. Quem si interfecisset, se facilius Gordiano parem futurum sperabat; neque enim quidquam aliud quam imperatoriam dignitatem eum assequi voluisse postea apparebit. Itaque hoc non a veritate abhorrere puto, quamquam Capitolinus rem integram reliquit[4]), Philippum Timesitheo, cum hic morbo affectus esset, per medicum venenum afferri iussisse[5]). Quo factum

1) vit. Gord. 27.

2) ibidem 28, 2. „. . . minores vero urbes aliae triginta dierum, aliae quadraginta, nonnullae duum mensium, quae minimum quindecim dierum.“

3) ibidem 28, 3. 4.

4) ibidem 28, 1: „nam Misitheus, quantum plerique dicunt, artibus Philippi . . . . ut alii morbo extinctus est.“

5) ibidem 28, 5, 6.

est, ut is a. 243 vita excederet, postquam rem publicam Romanam heredem omnium bonorum suorum fecit [1]). Morte soceri Gordianum optimo atque fidelissimo adiutore privatum esse omnes intellexerunt.

Ut provideri potuit, L. Annio Arriano, G. Cervonio Papo consulibus a. 243 [2]) Philippus Arabs, humili genere natus, praetorio praefectus est. Quamquam Gordianus eum in locum parentis adoptaverat, tamen Philippus in tot tantisque honoribus non acquievit neque prius desistere voluit, quam quod concupiscebat, assecutus esset [3]).

Dum haec geruntur, exercitus Nisibi relicta contra Ktesiphontem progrediebatur. Atque copiae quidem secundum Chaboram fluvium, qui apud Circesium in Euphratem flumen se effundit, profecti esse videntur, quod ita navibus frumentariis necessaria facillime atque celerrime advehi potuerunt Quo in itinere vix dubium est, quin Timesitheus mortuus sit.

Philippus autem, ubi primum praefectus factus est, statim Gordiano insidias parare coepit, de quibus complura dicam.

Quoniam Timesitheus in urbibus satis accumulaverat, quae ad vivendum necessaria erant, ut milites haud facile a re frumentaria laborare possent, artibus Philippi primum naves frumentariae amotae sunt, ne commeatus subvehi posset; deinde exercitus in ea loca deductus est, in quibus victus deesset. Milites, cum fame premerentur, fremere coeperunt non intelligentes fraude Philippi se in hanc condicionem adductos esse. Qui militum fremitus in dies per principes auro corruptos augebatur, ut iam nonnulli dicerent exercitum male duci per imperatorem adolescentem: in hoc discrimine rerum eo duce opus esse, qui militibus atque rei publicae praeesse sciret. Qua re factum est, ut Philippus iam palam ad imperium posceretur, quamquam amici Gordiani primum vehementissime resistebant. Paullatin numerus tumultuantium crescebat, praesertim cum inopia in dies ingra-

[1]) vit. Gord. 28, 1 „ . . extinctus est herede Romano re p. ut quicquid eius fuerat, vectigalibus urbis accederet."

[2]) Klein: fasti cons. ad hunc annum.

[3]) vit. Gord. 29, 1.

vesceret, ut milites imperium Philippo mandarent et postularent, ut is quasi tutor imperatoris pariter imperaret, dum modo in hac re Capitolino credere licet [1]). Haec enim et alia Capitolini, quae sequuntur, minime satis clara sunt. Sed facile vera a falsis distinguemus, si verba Capitolini cum iis, quae Zosimus de hac re tradidit, comparaverimus.

Capitolino enim auctore cum Philippus se superbissime gereret in Gordianum, factum est, ut imperator nobilissimo genere natus improbitatem hominis ignobilissimi diutius ferre nollet. Itaque Philippum apud duces militesque adstante Maecio Gordiano affini suo accusavit sperans fore, ut illi imperium abrogaretur. Sed milites cum plerique a Philippo starent, non secundis auribus audiebant, ita ut Gordianus videns suam dignitatem minus efficere, quam arrogantiam Philippi, iam peteret, ut par saltem inter se esset imperium; sed ne id quidem impetravit. „Dehinc petit, ut ait Capitolinus, ut loco Caesaris haberetur, neque id optinuit, petit etiam ut praefecti loco esset Philippo, quod et ipsum negatum est. ultimae preces fuerunt, ut eum Philippus pro duce haberet et pateretur vivere, ad quod quidem paene consenserat Philippus, ipse tacitus, sed omnia per amicos agens nutibus atque consiliis. verum cum secum ipse cogitaret amorem populi Romani et senatus circa Gordianum et totius Africae ac Syriae totiusque orbis Romani, cum et nobilis esset et nepos ac filius imperatorum et bellis gravibus totam rem publicam liberasset, posse fieri ut flexa quandocumque militum voluntate Gordiano redderetur imperium repetenti, cum in Gordianum irae militum famis causa vehementes essent, clamantem e conspectu duci iussit ac dispoliari et occidi. quod cum primo dilatum esset, post ut iussit impletum est [2]). Quam narrationem iam Muratorius [3]) improbat, quod nihil conveniat ad amorem illum singula-

[1]) vit. Gord. 29, 2–6.

[2]) ibidem 30.

[3]) l. c. p. 72. „Die Erzählung des Capitolini kömmt ganz und gar nicht mit der Liebe überein, welche jederman und die Soldaten selbst, nach seinem Zeugnisse zu Gordiano hatten.

rem, quo milites Gordianum eodem teste amplexi erant. Et re vera haec verba maxime suspiciosa esse per Zosimum clarum fit, qui caedam imperatoris ita refert[1]): „ἅμα τῷ παραλαβεῖν τὴν ἀρχὴν εἰς ἐπιθυμίαν βασιλείας ἐτράπη (sc. Φίλιππος) καὶ τῶν στρατιωτῶν σιτήσεων συγκομιδὴν ἅλις ἔχουσαν εἶδεν ἔτι τοῦ βασιλέως περὶ Κάῤῥας καὶ Νίσιβιν σὺν τῷ στρατῷ διατρίβοντος αὐτὸς ἐνδοτέρω τὰς ναῦς, αἳ τὴν στρατιωτικὴν τροφὴν εἶχον, εἰσιέναι διέταττεν, ὡς ἂν ἡ στρατιὰ λιμῷ πιεζομένη καὶ ἀπορίᾳ τῶν ἐπιτηδείων ἀνασταίη πρὸς στάσιν. ἐκβάσης δὲ εἰς ἔργον αὐτῷ τῆς σκέψεως, οἱ στρατιῶται πρόφασιν τὴν τῶν ἀναγκαίων ἔνδειαν ποιησάμενοι, σὺν οὐδενὶ κόσμῳ τὸν Γορδιανὸν περιστάντες ὡς αἴτιον τῆς τοῦ στρατοπέδου φθορᾶς ἀναιροῦσι, Φιλίππῳ τὴν ἁλουργίδα κατὰ τὸ συγκείμενον περιθέντες.“ Zosimi verba multo veri similiora esse quam Capitolini facile iis ipsis intellegitur, quamquam de eo, quod gravissimum est Gordianum fraude Philippi interfectum esse, inter se consentiunt. Hoc fit, quod uterque scriptor hanc ipsam rem ex eodem fonte sumsit, cum Capitolinus in iis, quae plura affert, alio auctore utatur[2])

Sed milites ipsos Gordianum interfecisse, ne Zosimo quidem assentiri velim. Nam dubito, num milites, quorum amor erga imperatorem valde laudatur[3]), ei monumentum exacturi fuerint[4]), si participes caedis fuissent. Immo Philippum ira, quae propter inopiam contra Gordianum exorta erat, usum hunc clam e medio tolli iussisse mihi constare videtur. Quae opinio satis per Ammianum Marcellinum probatur, qui ita scribit[5]): „Traianus et Verus et Severus hinc sunt digressi victores et tropaeati, rediissetque pari splendore iunior Gordianus , . . . ni factione Philippi praefecti praetorio sceleste i u v a n t i b u s p a u c i s in hoc ubi sepultus est loco, vulnere impio cecidisset. nec erravere diu

---

[1]) I. 18. 19.
[2]) cfr. p. 38.
[3]) cfr. p. 29.
[4]) cfr. p. 27. 28.
[5]) l. XXIII 5, 17.

manes eius inulti, quod velut elaborante iustitia o m n e s , q u i i n e u m c o n s p i r a v e r e , cruciabilibus interiere suppliciis.“

Quo facto Philippus adolescentem morbo periisse simulabat[1]). Si mortem ita interpretamur, causa quoque simulationis Philippi invenitur, quae talis erat, ut non solum imagines Gordiani tolli, statuas deponi, nomen abradi non pateretur, sed ipse etiam eum semper divum apud milites appellaret et simulata pietate veneraretur[2]).

Interfectus autem est Gordianus ineunte a. 244, Armenio Peregrino, Fulvio Aemiliano consulibus inter a. d. VII. cal. Mart. et pridie id. Mart., quod sequitur ex duabus legibus; quarum prior a Gordiano, posterior iam a Philippo data est[3]). Regnavit igitur annos V, menses VIII, dies fere III, quod supra diligentius persecutus sum. Erat XIX annorum, cum mortem obiit. Senatus eum in deos retulit et „familiae Gordiani hoc decrevit, ut a tutelis atque legationibus et a publicis necessitatibus, nisi si vellent, semper vacarent“[4]). Milites Gordiano in Persis non longe a finibus imperii Romani apud urbem Zaitham[5]) monu-

---

[1]) vit. Gord. 31, 2. „Philippus autem, ne a crudelitate nancisci videretur imperium, Romam litteras misit, quibus scripsit, Gordianum morbo periisse.“

[2]) ibidem 31, 7.

[3]) cfr. p. 9 not. 4.

[4]) vit. Gord. 31, 3; 32, 4. Casaubonus in ed. scr. h. Aug. t. II ad hunc locum adnotavit: „Rarum privilegii exemplum, quo data est familiae Gordianorum immunitas et privatorum munerum et publicorum. Exemplum est ab Atheniensibus, qui bene meritis de Rep. sua dabant ἀτέλειαν λειτουργιῶν.“

[5]) Marcell. XXIII 5, 7. Profecti deinde ad Zaitham venimus locum, qui olea arbor interpretatur. hic Gordiani imperatoris longe conspicuum vidimus tumulum. Minus accurate, quam Marcellinus, Capitolinus vit. Gord. 34, 2 scribit, monumentum apud Circeium, et Zos. III. 14, apud Duram stetisse. Forbiger enim II p. 636 not. t. de hac re ita iudicat: „Zosimus l. l. versetzt das Denkmal, wohl minder richtig nach Dura, denn es stand nach Eutrop IX. 2 („Miles ei tumulum vigesimo milliario a Circesso), der als Augenzeuge davon spricht, 20 Mill. oder 4 g. M. von Circesium, Dura aber war über 7 g. M. von Circesium entfernt. Vielleicht stand es mitten zwischen beiden benachbarten Städten,

mentum exstruxerunt [1]), quod Ammianus Marcellinus ipse plus saeculo post vidit. Zaitha urbs sita est ad Euphratem sinistrum intra urbes Duram et Circesium, ubi Chaboras in Euphratem influit. In monumento Graecis, Latinis, Persicis, Judaicis, Aegyptiacis litteris haec incisa esse dicuntur: „Divo Gordiano victori Persarum, victori Gothorum, victori Sarmatarum, depulsori Romanarum seditionum, victori Germanorum, sed non victori Philipporum“ [2]) Quae inscriptio propter verba „sed non victori Philipporum“ non parvam suspicionem movet. Iam Capitolinus duas interpretationes dedit, quae mihi minime placent. Illud enim propterea additum fuisse refert „quia in campis Philippis ab Alanis tumultuario proelio victus abscesserat, simul etiam quod a Philippis videbatur occisus“ [3]). Salmasius putat haec verba respicere ad Philippum patrem et filium et ita pergit: „sed si de campis intelligatur Philippis, mira prorsus erit locutio, qua quis dicatur campi victor, non hominum qui in campo pugnarunt“ [4]) Sane mira. Quod autem „a Philippis videbatur occisus“ Casaubonus in hunc modum iudicat: „Miror additum fuisse istud, quod aeternam Philippo ignominiae notam inurebat: cum tamen ille nihil minus vellet credi quam occisum a se Gordianum quem cum ad senatum scriberet finxit morbo et sua morte obiisse“ [5]) Quomodo ex hoc discrimine nos expediamus nescio, nisi forte verum est, quod Wietersheim-Dahn p. 193 scribit: „Es liegt sehr nahe, in dieser Inschrift eine Mystification Capitolins zu ver-

vielleicht aber schreibt es auch Zosismus Dura blos als der grösseren und bekannteren von ihnen zu.“

1) Secundum Marcell. XXIII 5, 17: „ni . . . . in hoc ubi sepultus est loco, vulnere impio cecidisset“ Gordianus apud Zaitham humatus est, contra Eutrop. IX. 2, 6. tradit: „Miles ei tumulum . . . . aedificavit; exsequias Romam revexit.“ Sed illud veri similius.

2) vit. Gord. 34, 2, 3.

3) ibidem 34, 4.

4) ed. Casauboni II. p. 136. not.

5) ibidem p. 135. not.

muthen, da die durch ein grossartiges Denkmal (was nach Amm. Marc. a. d. o. a. Stelle nicht zu bezweifeln ist) bekundete Absicht, Gordian zu ehren, mit der Ironie und doch zugleich Unwahrheit des Nachsatzes, da er mit den Bewohnern jener Stadt selbst doch gar nicht gekriegt hatte, schwer zu vereinigen ist. Wenn Capitolin aber ausdrücklich hinzufügt, dass diese Inschrift in griechischer, lateinischer, persischer, jüdischer und aegyptischer Schrift, um Allen verständlich zu sein, angebracht worden sei, was den Glauben an deren Aechtheit zu erhöhen scheint, so ist es doch wohl möglich, dass sie aus einer Laune der Soldaten, welchen Philippus nicht entgegentreten mochte, wirklich in obigen Worten verfasst worden ist.“

Sed quoquo modo res se habet, tamen cum illis gentibus pugnatum esse satis constare videtur. Quod autem Gordiano neque in nummis neque in mamoribus illa cognomina adscripta sunt, inde sequitur imperatorem publice ita non nominatum esse, et bella gravia non fuisse [1])

Restat, ut ad extremum pauca dicam de moribus atque ingenio. Capitolinus Cordo auctore refert Gordianum fuisse adolescentem laetum, pulchrum, amabilem, omnibus gratum, in vita iucundum in litteris nobilem, prorsus ut nihil praeter aetatem ei deesset imperio. Amatum esse a populo et senatu et militibus ante Philippi factionem, ita ut neminem principum. Omnes milites et senatum eum filium appellasse, omnem populum delicias eum dixisse [2]). „Amabatur autem, ut ille ait [3]), merito avi et avunculi sive patris, qui ambo pro senatu et pro populo Romano contra Maximinum arma sumpserunt et militaris vel morte vel necessitate perierunt.“ Mihi quidem ille militum amor erga Gordianum ex alliis quoque causis ortus esse videtur, praesertim

1) Quoniam res gestae ordine quodammodo inverso in monumento insculptae erant, firmatur id quod p. 17 de verbis „victori Germanorum“ dixi: anno 238 vel 239 cum Germanis dimicatum esse.

2) vit. Gord. c. 31. 4—7.

3) ibidem 22, 6.

cum tantum abesset, ut Gordiani in Africa fortiter se gererent, ut Gordianus pater ignavum se praestaret, cum in ipso discrimine rerum manus sibi afferret. Equidem contenderim Gordianum imperatorem, quod erat ditissimus, permagna liberalitate [1]) animos militum sibi conciliasse; tum autem omnibus hominibus innatum est, ut eos ipsos amore amplectantur, qui et pulchritudine quadam corporis atque hilaritate animi excellant. Accedit, quod imperator, quamvis adolescentulus omnes, quos milites, belli labores subibat. Aliam amoris causam militum vix excogitare possum. Nam si de hominibus pro meritis atque rebus gestis iudicare licet, de Gordiano vix quidquam, neque bonum, neque malum, dici potest, cum, qua erat aetate, omnes res gerendas per alios viros imprimis per Timesitheum perfecerit. Atque cum iam progressus esset aetate, ei non inerat illa constantia atque firmitas, quae non aliorum auctoritatem sequens suo ipsius arbitrio uteretur. Itaque obsequium, quod erga Philippum praebebat, ei perniciei fuit. Sed hoc neglecto Gordianus memoriam nominis sui praecipue legibus, quas dedit, consecravit [2]). Ceterum rem publicam, donec Timesitheus gubernacula tenuit, gloria quadam florentem fuisse negari non potest.

Ne quid praetermisisse videamur, de monumentis, quibus urbem exornaverit, Capitolinum ipsum audiamus.

„Instituerat porticum in campo Martio sub colle pedum mille, ita ut ab altera parte aequa mille pedum porticus fieret, atque inter eas pariter pateret spatium pedum quingentorum; cuius spatii hinc atque inde viridaria essent, lauro myrto et buxo frequentata, medium vero lithostrothum brevibus columnis altrinsecus positis et sigillis per pedes mille, quod essst deambulatorium, ita ut in capite basilica esset pedum quingentorum. cogitaverat praeterea cum Misitheo, ut post basilicam thermas aestivas sui nominis faceret, ita ut hiemales in principio porticuum poneret, ne sine usu essent vel viridaria vel porticus“ [1]).

---

1) Cohen IV. Gordien le Pieux, n. 54—63; 183—185; 245—257.

2) Clinton vol. I. ad annum 238, 3; 239, 2; 240, 2; 244, 2; vol. II. p. 48—51.

Praeter quaedam nymfia et balneas, quae in usum privatum exornatae erant, nulla opera Gordiani Romae extabant [2]).

Domus rostrata Gordianorum, quae olim Pompeii fuerat [3]), et a Gordiano patre pulcherrime exornata erat, etiam Capitolini temporibus extabat. Villa eorum ad viam Praenestinam sita celeberrima erat „ducentas columnas in tetrastylo habens, quarum quinquaginta Carysteae, quinquaqinta Claudianae, quinquaginta Synnades, quinquaginta Numidicae pari mensura erant. in qua basilicae centenariae tres. cetera huic operi convenientia et thermae quales praeter urbem ut tunc nusquam in orbe terrarum“ [4]).

Ad triumphum Persicum iam bestiae multae atque diversae, mansuetae et ferae paratae erant, quas omnes Philippus saecularibus ludis et muneribus atque circensibus, cum millesimum annum ab urbe condita in consulatu suo et filii sui celebravit, exhibuit [5]).

Post mortem Gordiani res in tam malam condicionem adductae sunt, ut Philippus turpissimam pacem cum Sapore facere cogeretur [6]). Ceterum ei nonnullis annis post idem, quod adolescenti, accidisse dicitur [7]).

---

1) vit. Gord. 32, 6, 7.

2) ibidem 32, 5.

3) ibidem 3, 6.

4) ibidem 32, 2, 3.

5) ibidem 33, 1, 2.

6) Zonar. XII. 19. „σπονδὰς δὲ πρὸς Σαπώρην θέμενος τὸν τῶν Περσῶν βασιλεύοντα, τὸν πρὸς Πέρσας κατέλυσε πόλεμον, παραχωρήσας αὐτοῖς Μεσοποταμίας καὶ Ἀρμενίας.“

7) vit. Gord. 33, 4, 5. Amm. Marc. XXIII. 5, 17.

Disputatur, ex quibus fontibus sua hauserit Capitolinus in vita Gordiani III describenda.

Plurimum interesse, ut intellegamus, unde vitae Capitolini sumptae sint, nemo est, qui non videat, quoniam ex fontibus, quos scriptores adeunt, fides eorum pendet. Quamquam autem de hac ipsa re iam nonnulli egerunt, quorum imprimis Carolum Dändlikerum [1]) et Aemilium Brocks [2]) nomino, quod mea quidem sententia rem copiosissime atque diligentissime, quamvis in contrariam partem, disquisiverunt, tamen Capitolini vitam Gordiani III persequi non supersedeo. Nam hanc ipsam rem illi duo scriptores obiter tantum, alii [3]) omnino non tractaverunt.

Atque primum quidem Capitolinum in vitis Gordianorum Herodianum et Cordum imprimis secutum esse illi explicaverunt. Quoniam autem Herodiani historia, postquam Gordianum III creatum esse narratum est, abrumpitur, quaeritur, utrum Capitolinus inde Cordo potissimum utatur, an Herodiani loco alterum ducem habeat. Daendliker p. 312 haec confirmat: „Dieselben bisher bezeichneten Merkmale (Acten und aussergewöhnlichen Worte und Nachrichten) sowie Citate beweisen, dass mindestens

1) cfr. p. 1. not. 2.

2) E. Brocks, de IV prioribus h. a. scriptoribus. Königsberg 1869.

3) Carl Czwalina, de epistolarum actorumque quae a scriptoribus hist. Aug. proferuntur, fide atque auctoritate. Bonn 1870. Carl Rübel, de fontibus IV prior. hist. Aug. scriptor. Bonn 1872. A. Dreinhofer, de fontibus et auctor. vitar. quae feruntur Spartiani, Capitolini, Gallicani, Lampridii. Halle 1875. (p. 35. haec scribit: „vita autem Gordianorum trium tota fere de Cordo translata est.) Fr. Richter, Ueber die scr. h. a., Rhein. Museum VII (p. 48: „Der andere griech. Schriftsteller, Dexippus, in seiner χρονικὴ ἱστορία, die ohne Zweifel allein gemeint sein kann, über deren ungefähren Inhalt uns Zosimus und Syncellus belehren, konnte bei seiner grossen Kürze überall nur in einzelnen Notizen dienen, mit Ausnahme des dritten Gordian, wo alle mehr historisch klingenden, unter Angabe der Consuln gelieferten Daten sein Eigenthum sein dürften.") J. Plew, de diversitate auctorum historiae augustae.

c. 24, 25, 26 § 2, 27 § 4—10 und 28, 31 § 4—7 und 33 aus Cordus genommen sind. Was übrig bleibt, ist dagegen, wie es scheint, aus einer annalistischen Quelle, die Herodian (welcher mit der Erhebung Gordians III schliesst) ersetzen soll (vielleicht Dexippus?) genommen". Aemilius Brocks autem scribit p. 67 haec: „In vita Gordiani tertii ut iam vidimus Herodianus auctor adhiberi non potuit: et statim deprehendimus rationem narrandi a ceteris vitis plane discrepantem, etenim subito ita instuitur narratio, ut more annalium res singulis annis gestae deinceps referantur, praescriptis consulum nominibus, c. 23: Venusto et Sabino coss.; ibidem Gordiano iterum et Papo coss., ibidem Praetextato et Attico coss., c. 29 Arriano et Papo coss. Et hic igitur Capitolinus videtur plerumque unum fontem exscripsisse (excepto c. primo), cum eadem per totam vitam narrandi ratio servata sit". In hac quoque re alterum ab altero dissentire facile intellegitur. Nam ut paucis dicam: Daendliker censet Capitolinum Cordo potissimum usum esse, cum Brocks eum „plerumque unum fontem exscripsisse", quo „more annalium res singulis annis gestae deinceps referantur" iudicet

Verum est, quod Brocks dicit; et ille quidem auctor Dexippus mihi esse videtur. Etenim si Zosimi librum cum vita Gordianorum comparaverimus, certas res non graves eas quidem sed quodammodo miras tradi inveniemus [1]), ita ut hos duos scriptores ex eodem fonte hausisse satis apertum sit Quoniam autem Zosimus primam partem libri I ex Dexippo excerpsit [2]), Capitolinum iis locis eundem ducem sequi omnes intellegunt, id quod paucis locis diserte confirmatur. Ut vit. Gord. 19, 9, quae congruunt cum Zos. I. c. 16 ineunte, ex Dexippo petita esse, Capititolinus l. c. ipse dicit [3]). Quem scriptorem hic in vita

1) cfr. vit. Gord. 9, 7 et Zos. I, 14, 5, 6; Gord. 10, 2 et Zos. I. 14, 11—13; Gord. 16, 2 et Zos. I, 16, 1.

2) Arnold Schaefer: Abriss der Quellenkunde der griech. und röm. Geschichte. Leipzig 1881 p. 183: „Zosimus entnahm die Einleitung und die frühere Kaiserzeit (I. 1 46) aus der Chronik des Dexippos (—270)."

3) cfr. praeterea vit. Gord. 9, 6—8 et Zos. I. 14.

Gordiani patris et filii parum adhibuit, quod Herodiano uti potuit; sed ab Gordiano III loco Herodiani ex causa, quam supra dixi, alium fontem — qui Dexippus fuit — sequi opus erat. Ita fit, ut Capitolinus in vita Gordiani III (c. 22 excepto [1]) omnino duos auctores habeat, Dexippum in rebus gestis actibusque, Cordum in moribus et in rebus illis volgaribus enarrandis, quae meram curiositatem movent.

Quo modo et qua ratione Dexippi liber, qui inscribitur *χρονικὴ ἱστορία*, compositus fuerit, Eunapius in hunc modum refert [2]: „*Δεξίππῳ τῷ Ἀθηναίῳ κατὰ τοὺς Ἀθήνησιν ἄρχοντας.... ἱστορία συγγέγραπται, προσαριθμουμένων καὶ τῶν Ῥωμαϊκῶν ὑπάτων καὶ πρόγε αὐτῶν τῶν ὑπάτων τε καὶ ἀρχόντων ἀρξαμένης τῆς γραφῆς . . . πάντα δὲ, ὅσα πρός τε τὸ κοινὸν ἁπάντων ἀνθρώπων ἀξιόλογα καὶ κατ᾽ ἄνδρα δι᾽ ἀρετὴν περιττοῦ τινὸς ὀνόματος τετυχηκότα λάβρως ἐπιδραμὼν καὶ διαθέμενος τῷ λόγῳ τελευτᾷν ἐς Κλαύδιον καταλύει τὴν συγγραφήν*“. Quibus Eunapii praeceptis servatis iam non difficile est, ea, quae ex Dexippo sumpta sunt, ab aliis dignoscere. Mea quidem sententia haec sunt: c. 23 § 4—7; 24; 25; 26 § 3—6; 27 § 1—3; 28; 29 § 1—3; 31 § 1—3; 34 § 2—4, id quod mihi demonstrandum est.

Capitolinum c. 23 § 4—7 Dexippum secutum esse per Zosimum probatur, qui neglecto tempore eadem fere l. I. c. 17 memoriae tradidit. Ut comparando hoc facilius intellegatur, eorum verba hic appono:

Capitol.

Venusto et Sabino conss. inita est factio in Africa contra Gordianum tertium duce Sabiniano: quem Gordianus per praesidem Mauretaniae obsessum a coniuratis ita oppressit

Zos.

μετ᾽ οὐ πολὺ δὲ καὶ Καρχηδόνιοι τῆς τοῦ βασιλέως εὐνοίας ἀλλοτριωθέντες Σαβιανὸν εἰς βασιλείαν παράγουσι. Γορδιανοῦ δὲ κινήσαντος τὰς ἐν Λιβύῃ δυνάμεις, ἐπανελ-

[1]) in quo capite Capitolinus et Cordo et Dexippo et Herodiano utitur.
[2]) Arnold Schaefer p. 160. §. 97.

Capitol. (cont.)

ut ad eum tradendum Carthaginem omnes venirent et crimina confitentes et veniam sceleribus postulantes. finita igitur sollicitudine in Africa Gordiano iam iterum et Pompeiano conss. bellum Persicum natum est. quando et adolescens Gordianus, priusquam ad bellum proficisceretur, et duxit uxorem filiam Misithei, doctissimi viri, quem causa eloquentiae dignum parentela sua putavit et praefectum statim fecit. post quod non puerile iam et contemptibile videbatur imperium, si quidem et optimi soceri consiliis adiuvaretur et ipse pro parte aliquantulum saperet nec per spadones ac ministros aulicos matris vel ignorantia vel coniventia venderetur.

Zos. (cont.)

θόντες πρὸς αὐτὸν τῇ γνώμῃ τὸν μὲν ἐπιθέμενον τῇ τυραννίδι παραδιδόασι, συγγνώμης δὲ τυχόντες τῶν περισχόντων αὐτοὺς κινδύνων ἐλευθερώθησαν. ἐν τούτῳ δὴ πρὸς γάμον ἄγεται Γορδιανὸς Τιμησικλέους θυγατέρα, τῶν ἐπὶ παιδεύσει διαβοήτων ἀνδρὸς, ὃν ὕπαρχον τῆς αὐλῆς ἀναδείξας. ἔδοξε τὸ διὰ τὸ νέον τῆς ἡλικίας τῇ κηδεμονίᾳ τῶν πραγμάτων ἐλλεῖπον ἀναπληροῦν.

Quae verba si obiter tantum perlegeris, ex eodem fonte hausta esse concedes, quamquam paulum, ut de seditione, quam uterque narrat, inter se discrepant. Sed Capitolino maiorem fidem nos habere debere existimo, quod eum, cum tempora scribebat, Dexippum ad manum habuisse puto. Sed haec sufficiant.

Venio nunc ad duas epistolas, quae c 24 et 25 continentur, quas Capitolinum apud Dexippum invenisse supra dixi. Quae opinio primo aspectu difficultatem quandam praebere videtur, quia Zosimus eas neglexit. Sed si consideraverimus Zosimum res brevissime et summatim quasi narrasse ita, ut res domesticas praeteriret, non mirum est, cur litteras omiserit. Discimus enim ex iis, quam male Gordiano imperante res domesticae administratae sint, cum homines depravati rerum potiti essent.

Et quod Zosimus ipse, postquam Gordianum Timesithei filiam in matrimonium duxisse narravit, ita pergit[1]): „ἤδη δὲ τῆς βασιλείας οὔσης ἐν ὀχυρῷ“ his verbis satis significatur vitia quaedam in civitate antea invaluisse, quae tum sublata esse videntur. Ceterum epistolas argumento cum capite praecedenti conexas esse facile intelleges. Nam et Zosimus et Capitolinus referunt Timesitheum, postquam praefectus factus esset, id supplevisse, quod Gordianum adulescentulum ad imperandum deficiebat. Deinde ex epistolis cognoscitur, qualia haec vitia fuerint, itemque ex iis colligi potest ea per Timesitheum emendata esse, ita ut Zosimus optimo iure pergere posset: „ἤδη δὲ τῆς βασιλείας οὔσης ἐν ὀχυρῷ, Πέρσαι“ etc. Quae cum ita sint, fieri non potest, ut Dändlikero assentiar dicenti litteras a Cordo sumptas esse. Recte enim Brocks scripsit p. 59, has epistolas „cum longiore textu tum hac re a ceteris“ differre, „quod omnibus praescripti sunt tituli, quod in illis nunquam factum“. Accedit, quod in his ipsis litteris singula et certa facta scripta sunt, id quod de ceteris Cordi epistolis non facile dici potest. Capitolinum epistolas apud Dexippum invenisse, praeterea confirmatur verbis: „Et Misithei quidem epistolam Graecam quidam fuisse dicunt“. Nam cum epistola apud graecum scriptorem scripta esset, etiam Graecis litteris composita erat. Itemque imperatoris epistolam graecam fuisse apparet quamquam Capitolinus non satis diligens erat, ut illud de altera quoque adiiceret.

Sed epistolae ne genuinae quidem haberi possunt. Ut unum argumentum afferam, litterae imperatoris ad Timesitheum missae tantum prudentiae ostentant, quantum Dexippus vir peritissimus habere potuit, puer quindecim annorum non potuit. An, ut caetera omittam, haec verba „mi pater, verum audias velim: miser est imperator, apud quem vera reticentur, qui cum ipse publice ambulare non possit, necesse est, ut audiat et vel audita vel a plurimis roborata confirmet“ puerum scripsisse iudicatis? Atqui

[1]) I. 18.

ut epistolae falsae sint, quid est, cur non ea, quae iis continentur, ad veritatem accommodata sint? Dexippum enim de rebus, quae temporibus suis vel paulo ante gestae erant, optime edoctum fuisse non mirum est, quoniam summum civitatis Atheniensium locum obtinebat[1]).

Sed de hac re satis dictum esse puto. Etiam c. 26, 3—6 et c. 27, 1—3 e Dexippo sumpta esse, quis est quin intellegat? Minus clarum esse videtur, quem auctorem Capitolinus c. 27, 4—10 secutus sit. Sed re diligentius perpensa et examinata non vereor dicere, Capitolinum hanc epistolam neque a Cordo neque a Dexippo habere, sed ipsum eam finxisse. Manifestum enim est ex hac nos nihil aliud discere, quam quod iam c. 26, 3—6 et c. 27, 1—3 scriptum sit. Quid igitur dicam de verbis „ut brevi multa connectam“? Capitolinus „multa brevi“ connectere debebat, quoniam nihil amplius sciebat, quam quod apud Dexippum invenerat: Antiochiam, Carras, Nisibim merito Timesithei expugnatas esse et Persas devictos esse. Illum in hac epistola scribenda id unum egisse, ut Timesithei virtutes in sua luce collocarentur, verbis, quae praefatur, patet: „Extat oratio Gordiani ad senatum, qua de rebus gestis suis scribens Misitheo praefecto suo et socere ingentes gratias agit.“ Itaque haec quoque affinxit: quadrigam sex equorum, triumphalem currum, illud nomen praefecti urbis. Cur Capitolinus non totas litteras memoriae tradidit, si quidem eas ad manum habuit, in quibus de rebus gestis scriptum esse nos ipse docet? Gravissimum enim fuisset, has quoque res cognoscere, quas silentio praeterit.

Longum est, illud quoque accuratius persequi, quod Brocks, vituperavit p. 57 „Ceterum etiam illud velim attendas, quam parum ingeniosus falsator fuerit, qui formulam in fine epistolae

[1]) Corp. scr. hist. Byz. pars I. Bonn 1829. p. XIV.: „Publius Herennius Dexippus, Ptolemaei filius Atheniensis, Pago Hermensis, e Cerycum gente, summos in civitate honores adeptus est, rex creatus atque archon eponymus; splendideque agnothetae munere Panathenaeis functus, clarus orator atque historiarum scriptor. etc.“

positam: *vestrum est* cum infin. tribus aliis locis in fine litterarum vel orationum repetit: in epistola, quam senatus Maximino hoste iudicato ad provincias dedit: Max. 25 *vestrum est* consentire — in oratione Gordiani ad senatum missa *Gord.* 27: *vestrum est* igitur supplicationes decernere, nos diis commendare — denique in contione Alexandri Severi inserta eius vitae c. 56 quae et ipsa ut demonstravimus Capitolini est: *vestrum est* supplicationem decernere". Quibus omnibus perpensis epistolam a Capitolino fictam esse, quis est, quin censeat?

Etiam c. 28 et c. 29, 1—3 non ex Cordo sed ex Dexippo sumpsit, ita ut pauca, quae in hoc scriptore invenerat, in maius extolleret. Sed c. 29, 4—6 et c. 30 ex Cordo descripsisse videtur. Atque primum quidem Gordianum non illo modo, quo eo capite narratur, periisse satis certum esse videtur. Nam cum Dexippus omnia breviter persecutus sit, vel ex hac causa mihi persuadere non possum, eum caedem illo fabuloso et prolixo modo tradidisse; immo vero Capitolinus in hac re Cordo utitur. Cordum enim mortem Gordiani perscripsisse, ex c. 33, 4, 5, satis constat. Qui cum „libros mythistoriis repleverit,"[1]) et „omnia usque ad fabellam"[2]) scripserit, opinio mea a veritate non abhorret.

Denique Capitolinum c. 31, 1—3 Dexippum ducem habere, si illa argumenta servaverimus, facile inveniemus. Non tam facile statui potest, unde inscriptionem illam, quam in c. 34 affert, descripserit. Haec enim verba „quem titulum evertisse Licinius dicitur eo tempore, quo est nactus imperium, quum se vellet videri a Philippis originem trahere" tertium fontem indicare videntur. Sed cum tota Gordiani III vita vestigium nullum tertii fontis reperiatur, Capitolinum ipsum verba illa excogitasse iudicaverim, quae res suspicionem inscriptionis falsatae probabiliorem

---

1) Capitol. Macr. 1, 3. „quae ille (sc. Cordus) omnia exsequendo libros mythistoriis replevit."

2) Maxim. 31, 4. „— legat Cordum, qui haec omnia usque ad fabellam scripsit."

redderet. Nam cum Capitolinus librum suum imperatori Constantino dedicaverit, facile intellegitur, cur Constantini adversarium Licinium, qui a Philippis ipsis originem trahebat, illud committentem faciat. Sed suo iure quispiam dixerit fando illum nuntium audivisse Capitolinum et tamquam certum narravisse. Si res ita se haberet inscriptionem sane apud Dexippum eum invenisse necesse esset, quod equidem verisimilius esse arbitror.

In omnibus ceteris Cordum Capitolini auctorem fuisse, re ipsa apparet.

Si de fide Capitolini in vita Gordiani III iudicare licet, eam maiorem esse quam in ceteris vitis dico, quod Capitolinus in omnibus rebus gravibus Dexippo nititur.

Quaestionum chronologicarum summa est haec:

Gordianus I et II imperatores facti sunt medio fere Februario a. CCXXXVIII, interfecti sunt XX diebus post.

Maximus et Balbinus imperatores facti sunt circiter non. Mart. a. CCXXXVIII, perierunt XCIX diebus post.

Maximinus imperator occisus est medio fere Maio vel paulo post a. CCXXXVIII.

Gordianus III imperium iniit medio fere Junio a. CCXXXVIII, imperavit a. V, m. VIII, dies fere III; occisus est inter diem XXIII m. Febr. et diem XIII m. Mart. a. CCXXXXIV.